

(post jam institutam a Christo religionis substantiam) ab hominibus, viris utique perfectis fuere instituta, et ab Ecclesia approbata, ita ut quævis earum peculiarem fundatorem, ac principalem institutorem habeat. Omnes. Patebitque ex § sequenti. Nec est conclusio hæc contraria conclusioni positæ n. 3. Quamvis enim Christus religionem instituerit quoad substantiam, tamen accidentalia ejusdem reliquit Ecclesiæ determinanda salva semper substantia, ejusdemque substantiæ institutore manente Christo, supremo perfectionis magistro: Prout simile quid contigit in sacramentis, quorum institutor secundum substantiam fuit, et semper manebit Christus, non obstante, quod accidentali determinationem reliquerit Ecclesiæ: ut docent unanimiter theologi, et habetur *Theologia nostra moral.* tract. XIV, disp. 1, q. 2.

§. II.

DE DIVERSITATE, AC NUMERO RELIGIONUM NECNON DE PERFECTIONE, ET UTILITATE EARUM TAM ABSOLUTA QUAM RESPECTIVA.

23. *Religiones omnes conveniunt in substantia, et tantum differunt in accidentibus: et quibus?* — Queritur I. An, et qualis sit diversitas religionum? et quomodo dividantur? Resp. Quamvis omnes, ac singulæ religiones neque in essentia, neque in fine principali differant, sed vere conveniant, utpote omnes tria vota substantialia habentes, omnesque ad unum finem principalem, perfectionem nempe, perfectamque Dei charitatem (*quæ est vinculum perfectionis*) tendentes; nihilominus multum differunt inter se accidentaliter, præcipue vero in duobus: videlicet Primo in fine proprio ac particulari, ad quem quævis specialiter a Fundatore est instituta. Secundo in mediis, et particularibus exercitiis quibus quælibet utitur, ac nititur ad tria vota substantialia exacte observanda, finemque principalem, perfectionem nempe, assequendum: tum ad finem particularem, melius obtinendum. Divus Thomas, 2. 2, q. 188; Miranda, tom. I, q. 6, a. 2, cum communi doctorum. patebitque ex sequentibus.

24. *Alia est contemplativa, alia activa, alia mixta.* — Nam religio primo dividitur in contemplativam, activam, et mixtam. Contemplativa est, quæ præter observationem trium votorum substantialium ex primæva sua ins-

titutione, ac fine particulari ad vitam contemplativam principaliter ordinatur, et potissimum se exercet in contemplatione rerum divinarum. Religio activa est, quæ ex fine suo particulari principaliter ordinatur ad vitam activam, opera nempe misericordiæ, et charitatis erga proximum, sive spiritualia, sive corporalia exhibenda. Religio mixta est, quæ de utraque participat seu potius utramque includit, eo quod ex fine suo particulari, ac vi institutionis suæ tam ad vitam contemplativam, quam activam, opera nempe misericordiæ et charitatis erga proximum, præsertim vero spiritualia, v. g. docendum, legendum, confessiones audiendum, concionandum etc. quæ contemplationem sociam requirunt, exhibenda, quam ad contemplationem, ac meditationem, internam ordinatur. Miranda, tom. I, q. 6, a. 2; Pirhing, loc. cit., n. 20; Sannig, eod. cap. II, n. 6, et communis aliorum, patetque ex terminis.

25. *Alia clericalis, alia monachalis, alia mendicans, alia militaris.* — Secundo religio alia est clericalis, alia monachalis, alia mendicans, alia militaris. Religiones clericales sunt, quæ vi institutionis suæ principaliter ordinantur ad chorum, divina mysteria exacte peragendo, cultumque divinum promovendum, cum aliqua mixtura vitæ contemplativæ ac mixtæ. In hac religione vivunt canonici regulares. Ita desumitur ex divo Thoma, 2. 2, q. 189, a. 8. ad 2, ubi addit, hujus religionis membra (canonicos nempe regulares) minus strictam ducere vitam, quam monachos (de quibus n. seq.) indeque posse illos ad hos, consequenter etiam ad mendicantes (de quibus n. 27.) sed non econtra hos ad illos transire. Sannig, loc. cit.; Pirhing, loc. cit., n. 21; Pellizz., loc. cit. cap. III, sect. 1, n. 17, et seqq.

26. *Monachus et religio monachalis, quid? et quæ ejus occupatio?* — Religio monachalis est, quæ vi institutionis suæ, et in fine suo particulari ad vitam contemplativam, et solitariam principaliter ordinatur. Divus Thomas, loc. cit.; Barbosa, lib. I. *Juris Eccles. univ.*, cap. XLI, n. 16; Sannig, loc. cit.; Pirhing, loc. cit., arg. can. 16, q. 1, ubi monachus idem significare dicitur, quod singularis; rectius solitarius, Glossa ibidem §. *Singularis.* arg. can. *Si Clericus.* ead. can. et q. ita ut non inter sæculares, sed solitarie in suo cœnobio vivat. Hinc sanctus Hieronymus in. can. *Si cupis.* 5. ead. cau.

et q. ad Paulinum monachum ait: « Si cupis esse, quod diceris monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? » Quapropter can. 1, dicta cau. et q. præcipitur, « ut monachus per omnia solitarie agat et vivat, adeo, ut ne pœnitentiæ sacramenta, aliis quam monachis in suo monasterio administret, neque doceat; quia monachus non docentis, sed plangentis habet officium, » can. *Monachus.* 4. ead. cau. 16. q. 1. Concordat can. *Monachi,* ac plures alii, cit. cau. 16. q. 1. Tales monachi vi primævæ institutionis suæ sunt benedictini, Cistercienses, carthusiani, etc. quia alii religiosi, qui soli contemplationi non insistent, si insuper vitam ducentes activam, episcopos, aliosque clericos sæculares in cura animarum, concionibus, ac sacramentis administrandis juvant, proprie monachi nec vocantur, nec sunt, uti cum communi aliorum observat Barbosa, loc. cit. n. 17. Verum de monachis, et canonicis regularibus plura infra tit. XXXV. de *Statu monachorum, canonicorum regular.*

27. *Mendicans religio, quid? et quæ?* — Religiones mendicantes sunt, quarum religiosi vi primævæ institutionis suæ ex fine peculiari ad vitam mixtam destinati, paupertatem non tantum in particulari, sed etiam in communi observant, nullaque bona immobilia possidentes, nullamque jus rerum habentes vivunt contenti iis solis, « quæ vel mendicantur humiliter, vel donantur liberaliter, » arg. *Exiit.* de Verb. signif. in 6. et Clem. *Exiit* eod.; Glossa in c. *Cum ex eo v. Mendicantes.* de *Excess. prælat.* in 6; Sannig, loc. cit.; Pirhing, loc. cit., n. 22; Pellizz., loc. cit. n. 12; Roderiquez, Miranda, et alii.

28. *Mendicantes omnes (exceptis fratribus minoribus) hodie habent bona in communi.* — Tales de jure communi approbati sunt quatuor videlicet religio prædicatorum, minorum, eremitarum sancti Augustini, et carmelitarum, c. un. de *Religios. domib.* in 6., ubi rejectis aliis ordinibus mendicantibus antecedentibus, soli approbantur religiosi præfati quatuor ordines mendicantes.

29. *Militaris ordo, quid?* — Dicitur notanter « vi primævæ institutionis suæ. » Nam de facto ex variis concessionibus, ac privilegiis summorum Pontificum, sicut et ex novissima ordinatione concilii Tridentini,

sess. 25. de *Regular.* cap. III. conceditur omnibus religionibus tam virorum, quam mulierum, etiam olim vere mendicantibus (sola excepta religione sancti Francisci) bona immobilia, dominiumque rerum habere in communi; ut proin soli franciscani, et capucini eandem sancti Francisci regulam ad litteram observantes, in propria acceptione juris antiqui, mendicantes sint. Quamvis idem nomen, amplissimaque mendicantium privilegia ex speciali concessione adhuc participant prædicatores, eremite sancti Augustini, et carmelitæ. Eodem nomine, iisdemque privilegiis, ex Pontificum concessione etiam alii religiosi adhuc hodie fruuntur, patres societatis, Cajetani, Paulini, ac plurimi alii, quo ad longum Barbosa, loc. cit. n. 208. et seq.

30. *Professi ordinis militaris an et quomodo sint religiosi?* — Tandem religiones militares sunt, quæ vi institutionis suæ, ac fine suo particulari principaliter ordinantur ad militandum pro defensione religionis christianæ, et Ecclesiæ. Tales sunt Ordo Melitensis, Ordo Teutonicus, ac plures alii, apud Barbosam, loc. cit., n. 164; Roderiquez, tom. I, q. 5; Suarez, tom. IV. de *Relig.* lib. cap. III, n. 4; Pirhing, h. t. n. 24, communis aliorum. De harum religionum professis gravissima disputatio est inter doctores an sint veri religiosi necne: aliis cum Navarro lib. III. consil. de *Regular.*, consil. 24, de *Reddit. Eccles.* q. 1, monit. 55, n. 5, affirmativam absolute tenentibus: aliis econtra cum communi theologorum absolute negantibus, illos esse vere ac proprie dictos religiosos, prout videre est apud Mirandam in *Manuali prælat.* tom. I, q. 10. a. 4; Roderiquez, tom. I, q. 1, a. 6, et alios.

31. Verum nec affirmativa, nec negativa absolute tenenda, sed cum distinctione respondendum videtur, videlicet, quod professi in ordinibus militaribus illis, in quibus præter vota paupertatis, et obedientiæ, etiam emittitur perfectum et totale votum castitatis, qualis est ordo militaris sancti Joannis (quorum professi commendatores de Malta, item equites Melitenses *Malteses Ritter*) dicuntur veri ac proprie dicti religiosi; Miranda, ac Roderiquez loc. cit. id pro certo asserentes. Idem cum aliis indubitatum habet Pellizz. loc. cit. n. 30. Ratio est, quia tales ordines omnia ad essentiam propriæ religionis requisita, tria nempe vota substantialia, ac Pontificis approbationem habent.

32. Professi vero illorum ordinum militarium, in quibus præter paupertatem et obedientiam tantum voveatur conjugalis, non vero perfecta castitas (quæ est ordo militaris divi Jacobi, Calatravæ, Alcantaræ, ac similiarum) sint quidem, ac dici possint religiosi, non tamen absolute, ac simpliciter, sed cum addito «militares.» Roderiquez loc. cit.; Miranda, loc. cit. concl. 3, qui putat conclusionem in hoc sensu esse certam. Et quidem, quod absolute, et simpliciter religiosi dici non possint, nec sint, docet contra Navarrum communissima theologorum. Ratio est, quia deficit unum essentialia ex requisitis, votum nempe perfectæ castitatis, quod juxta dicta n. 12. de jure divino pertinet ad essentialiam status religiosi, seu religionis absolute, ac simpliciter dictæ. Hinc bene dixit divus Thomas, 2. 2. q. 186, a. 4. « Quod illi modi vivendi secundum quos homines matrimonio utuntur, non sint simpliciter et absolute loquendo religiones, sed secundum quid, in quantum scilicet in aliquo participant quædam, quæ ad statum religiosum pertinent. » Hæc ille.

33. Nec obstat, quod dicti ordines militares habeant regulam a sancta Sede approbatam, simulque eorum professores emittant tria vota substantialia, atque ab ipsis summis Pontificibus appellentur non solum ecclesiastici, sed etiam religiosi, teste citato Navarro de Reddit. ecclesiast. q. 3, monit. 27, quin etiam capaces sint beneficiorum regularium, gaudeant privilegio fori, et canonis, prout latius deducit Navarrus, loc. cit. atque inde infert, eos esse absolute, vere, ac proprie religiosos. Resp. enim, hinc solum sequi, quod tales sint religiosi non quidem simpliciter, et absolute (cum non voveant castitatem absolutam) sed cum addito « religiosi militares, » prout vult altera pars distinctionis nostræ. Plura vide apud Mirandam, et Roderiquez, loc. cit.

34. Quatuor tantum sunt regulæ religiosorum sanctorum Basilii, Augustini, Benedicti et Francisci. — Quæritur II. Quot numero sint religiones in specie? Quando item, et a quo quævis instituta, ac approbata? Resp. Quamvis plurimæ sint religiones (quas omnes erudite more suo recenset Barbosa, lib. I. Juris Eccles. univ. cap. xli, a. 20.) tamen omnes sub quatuor principalibus regulis sancti Basilii videlicet, sancti Augustini, sancti Benedicti, et sancti patris nostri Francisci militant, exceptis Patribus societa-

tis Jesu, Patribus minimis, et carthusianis, qui in pluribus, quatuor præfatis regulis, se accommodantes propria statuta, et particulares constitutiones suas pro regulis habent. Barbosa, loc. cit., n. 20; Layman, lib. IV, tract. V, cap. II, n. 3; Piching, h. l. n. 25, eoque teste communis doctorum. Et licet potius ad historicos et chronologos, quam canonistas spectet, eas omne examinare, et adducere; nihilominus pro aliqua eruditione, et compendiosa notitia, placuit aliquas saltem cum origine earum ex doctoribus præsertim Barbosa, loc. cit. apponere, relinquendo fidem penes doctores nec enim per allegationem hanc illius antiquitati præjudicare intendimus.

35. Regula sancti Basilii quando incepit? et qui sub ea? — Prima igitur regula fuit sancti Basilii, ab eodem Sancto instituta circa annum 369, teste Barbosa, loc. cit., n. 21, vel circa annum 350, uti vult Miranda, in Manuali prælat. tom. I, q. 4, a. 1, sub Felice II Pontifice. Militant sub ea ferme omnes monachi Græci, et Orientalis Ecclesiæ. Ejusdem regulæ professores fuere inter alios sanctos, etiam sanctus Ephrem, sanctus Chrysostomus, sanctus Gregorius Nazianzenus, sanctus Joannes Damascenus, sanctus Hieronymus, et alii, fuitque primis sæculis celeberrima. Miranda, loc. cit.; Barbosa, loc. cit. a. n. 21.

36. Carmelitana religio quando incepit? — Eandem regulam olim habere patres carmelitæ teste Barbosa, loc. cit. n. 24. Hodie tamen aliam observant, quam confirmavit Innocentius III. Eandem, sicut et religionem carmelitarum confirmavit, et approbavit Honorius III, anno 1171, in Bulla Ut vivendi, estque constitutio VIII, dicti Pontificis apud Cherub. Cui bullæ inserta etiam est regula dicti ordinis, ut proin, licet de initio hujus sanctæ religionis satis clare non constet, pateat tamen de ejusdem confirmatione et approbatione per dictam hullam Honorii III. Et quamvis dicta regula quoad jejunia, esum carni, clausuram, et nonnulla alia, moderata fuerit per Innocentium III, in constitutione, Quæ honorem, anno 1247, et per Eugenium IV in constitutione Romani, anno 1431, eam tamen absque moderationibus, aut dispensationis privilegiis opera et reformatione sanctæ Theresiæ observare de novo incepit, et etiamnum observant patres carmelitæ discaleati: quam regulam una cum qualitatibus a sancta Theresia additis

confirmavit Gregorius XIII, per constitutionem Pia, anno 1580. Hæc porro familia carmelitana discaleata discessit a reliquo corpore carmelitano, cum proprio generali sibi dato a Clemente VIII, ut constat ex ejus constitutione 71, data Romæ 20 septemb. 1595; Barbosa, loc. cit. n. 29.

37. Sancti Augustini regula quando incepit? militant sub ea plures religiones. — Secunda principalis regula fuit sancti Augustini, ab eodem sancto instituta circa annum Domini 390, existente summo Pontifice Syriaco, et imperatoribus Occidentis Gratiano, Orientis vero Theodosio. Teste Barbosa, loc. cit. n. 88. Duo a sancto Augustino instituta fuere ordines, eremitarum videlicet, et canonicorum regularium: quinam autem prius, liquido non constat, utroque pro majori antiquitate, sibi competente, acerrime disputante, quorum proin disputationi negotium relinquatur. Cæterum sub utriusque hujus ordinis regula plures militarunt congregationes: et quidem teste Bordonio triginta quatuor congregationes canonicorum regularium: eremitarum vero decem et octo sub eadem sancti Augustini regula subsequenter instituta fuere etiam aliæ religiones et ordines; quorum triginta octo refert Tamberinus, plures etiam adducit Barbosa, loc. cit. a. n. 88.

38. Inter alias religio præmonstratensium. Hujus initium. — Inter alias sub regula sancti Augustini militantes religiones, fuit etiam ordo canonicorum regularium præmonstratensium, sic dictus a loco Præmonstrato in diœcesi Lugdunensi suffraganea Rhemensi in Gallia institutus a sancto Norberto archiepiscopo, postea primate Germaniæ 1120, sub Pontifice Calixto II, imperatoribus Occidentis Henrico V, Orientis Joanne Comneno, confirmatus ab Honorio II, per constitutionem, Honorius Episcopus, anno 1126.

39. Religio dominicanorum. Horum initium. — Sub eadem regula sancti Augustini militat ordo prædicatorum institutus a sancto Dominico circa annum 1205, ut vult Barbosa, lib. I. Juris Eccles. univ. lib. I, cap. xli, n. 117, vel, ut refert Miranda, tom. I, q. 4, a. 5, anno 1214, sub Innocentio III, confirmatus vero, et approbatus ab Honorio III, anno 1216, in Bulla Religiosam, quæ est secunda dicti Pontificis apud Cherub. Hic ordo pro uno ex celeberrimis in Ecclesia catholica communiter habetur, teste Miranda, loc. cit. et aliis.

40. Referuntur plures ordines sub regula sancti Augustini militantes. — Sub præfata regula sancti Augustini insuper vivunt sequentes ordines, videlicet sancti Pauli primi eremitæ institutus a beato Eusebio Sirigoniensi in regno Hungariæ, anno 1215, Pontifice Innocentio, confirmationem præstante fratre Gentili cardinali ex ordine sancti Francisci, legato Clementis V. in Hungaria, anno 1308. Item ordo beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum, revelante eadem beata Virgine Maria institutus a sancto Raymundo de Pennafort, et sancto Petro Nolasco, anno 1218, Pontifice Innocentio III, confirmatus a Gregorio IX, anno 1230, item ordo servorum, seu servitarum sanctæ Mariæ sic dictus, quod beatæ Virgini Mariæ peculiaribus obsequiis sit addictus, institutus a septem nobilibus Florentinis, anno 1233, Pontifice Gregorio IX approbatus a Benedicto XI per primam suam constitutionem, Dum levamus, anno 1303. Item ordo cruciferorum institutus per Germaniam, Belgium, et Galliam, a quinque piis viris clericis sæcularibus, anno 1246, regnante, atque ordinem confirmante Innocentio IV. Item ordo jesuatorum sancti Hieronymi institutus a sancto Joanne Columbino, anno 1354, sub Innocentio VI, approbatus a Martino V. in constitutione Pia postulat, anno 1468. Item ordo sanctæ Brigittæ, ab eadem Sancta institutus anno 1368, Pontifice Urbano V. Monasteria hujus ordinis pleraque sunt duplicia, virorum nempe religiosorum, et sanctimonialium, ita tamen degentium, ut stricta clausura ab invicem sint separati. Ambobus imperat una Abbatisa. Item ordo clericorum regularium theatinorum institutus a Petro Caraffa Neapolitano archiepiscopo Theatino (a quo ejusdem alumni Theatini vocantur) postea summo Pontifice Paulo IV, et sancto Cajetano (a quo iidem etiam Cajetani nuncupantur) anno 1524, Pontifice Clemente VIII. Habet hic ordo, teste Barbosa, loc. cit., in Italia domicilia triginta-sex, eaque religiosissimis, et doctissimis viris plena: extra Italiam vero pauca: de quibus omnibus latius vide Barbosam, loc. cit. et scriptores apud eundem citatos.

41. Militensis ordinis origo et initium. — Sub eadem sancti Augustini regula militant plures ordines militares, videlicet ordo militaris Militensis institutus Hierosolymis a Gerardo erectore hospitalis sancti Joannis Bap-

asiæ anno 1099, existente pontifice Paschali II, ordinem vero confirmante Honorio II, anno 1125. Vocantur subinde equites Rhodienses, eo quod Rhodum insulam Turvis eripuerint anno 1308, vicesima die augusti, ibique sedem, et domicilium religionis posuerint, et retinuerint ducentos quatuordecim annos usque ad annum 1522; vicesimo quinto decembris, quo die, præfata insula a Turcis iterum fuit recuperata. Hodie communiter dicuntur equites Militen-ses *Malteser Ritter a Malta* insula, in quam dono imperatoris Caroli V, Rhodis expulsi migrarunt, ubi etiamnum existunt.

42. *Ordo militaris teutonicus quando et quomodo incepit?* — Item ordo militaris sanctæ Mariæ Teutonicorum, vulgo ordo Teutonicus, sub patrocinio beatæ Virginis Mariæ, a quodam viro nobili Germano (cujus nomen in nullo auctore reperiri conqueritur Barbosa, loc. cit. n. 167.) pro natione Germanica institutus anno 1119, Calixto II pontifice, primum Hierosolymis sub sodalitati specie ad recreandos, et recipiendos peregrinos gentis Germanicæ, decursu autem temporis ad tuendum eosdem ab incursionibus Barbarorum. Expugnatis autem a Sultano Hierosolymis, ab his abire cum reliqua christianorum copia jussi, Arone, sive Ptolemaide conserere, ubi dum erant, ordo eorum confirmatus fuit a Cælestino III, anno 1192. Tandem Ptolemaide a Saracenis captam Europam venerunt, ibique contra Prussios, qui Moscoviam armis infestabant, a Conrado Moscoviæ duce evocati ea conditione, ut quidquid Prussiani agri occuparent, eis cederet, feliciter Prussios debellarunt, ductore Hermano Aliza ordinis magistro, spectatæ virtutis duce, Barbosa, loc. cit. n. 163. Submemorata sancti Augustini regula militant et alii ordines militares, ut ordo militaris sancti Jacobi in Lusitania, ordi-militaris sanctæ Mariæ de Carmelo, etc. de quibus vide Barbosam loc. cit. sicut et Roderiquez, tom. I. q. 5.

43. *Ordo sancti Benedicti et Cluniacensium quando incepit?* — Tertia principalis regula fuit sancti Benedicti, ab eodem Sancto instituta circa annum 500, pontifice Symmacho, ut tradit Barbosa, lib. I. *Juris eccles. univ.* cap. XL. n. 35, vel circa annum 520, ut refert Brugnoli, et Miranda, tom. I. Quæstuncularum, q. 4. a. 2. Sub hac regula plures erecti sunt, et militant congrega-tiones, et ordines, quorum octoginta-quin-

que numerant Tamburinus, Bordonus, et alii. Inter alios sub præfata regula militantes antiquior est familia Cluniacensium, sic dicta a primo illius monasterio Cluni in Gallia, erecto a sancto Odone monacho Benedictino circa annum 900, pontifice Anastasio III, ut vult Barbosa, loc. cit. n. 45, vel circa annum 913, ut refert Miranda, loc. cit.

44. *Camaldulensium ordinis initium.* — Sub eadem regula militat ordo camaldulensium a valle Camaldula sic dictus, institutus a sancto Romualdo monacho Benedictino circa annum 967, pontifice existente Joanne XIII, ordinem vero approbante Alexandro II, in constitutione sua 1. *Nulli*, anno 1072, teste Barbosa, loc. cit. n. 46, quamvis Miranda, loc. cit. cum aliis velit, initium hujus ordinis fuisse circa annum 1000. « Hujus sancti Romualdi sanctissimo exemplo, et magna sanctitatis fama, illustribus miraculis tot homines sunt permoti, quod (referente sic ex aliis Miranda, loc. cit.) nisi ipsemet eosdem prohibuisset, terrarum orbis, ejus religiosam vitam et disciplinam videbatur velle subire. » Habet amplissima privilegia.

45. *Cisterciensium ordinis origo et initium.* — Sub memorata sancti Benedicti regula insuper militat celeberrimus ordo cisterciensium sic dictus a valle Cistercio in diocesi cabilonensi in Burgundia apud Gallos institutus a sancto Roberto circa annum 1099, pontifice Urbano II. Hinc nempe Robertus prius abbas in ordine Cluniacensi cernens subditos suos (ut refert Miranda, loc. cit.) ob divitias, magnamque rerum copiam, et abundantiam a primævo instituto aliqua ratione deflectere, zelo ductus, assumptis sociis religiosissimis viris Cistercium, spinarum densissimum locum petiit, ibique novi ordinis principia posuit. Verum paulo post jussu pontificis ad suum monasterium rediens, et novum ordinem inceptum Stephano Anglico sui loco in prælatum et abbatem suffecto commendavit: qui Stephanus eundem gubernans, continuis, iisque ferventissimis precibus Deum rogabat, ut sanctissimum institutum foveret, et augetet. Exaudivit Stephanum Dominus dum Bernardum adolescentem nobilissimum gratia sua eo commovit, ut una cum tribus suis fratribus, sicut et aliis consanguineis, et amicis 30. numero ordinem Cisterciensium intraret anno 1113, ætatis suæ vigesimo secundo. Cujus deinde Bernardi subsequente

sanctitate et doctrina ordo majora sumpsit incrementa, ipsique religiosi Cistercienses ab hoc sancto Bernardo etiam Bernardini nominati fuere. Vide Barbosam, loc. cit. a. n. 50. Miranda, tom. I. q. 4. a. 2.

46. *Templariorum ordinis origo et interitum.* — Sub eadem sancti Benedicti regula militant etiam plures ordines militares, ut ordo militaris de Contrava institutus a sancto Raymundo Fierici in Castella, et rege Castellæ Sancio 1158, pontifice Adriano IV. Item ordo militaris Alcantara. Item ordo militaris Montesia. Item ordo Christi, et alii, de quibus vide Barbosam, loc. cit. Miranda, et Roderiquez, loc. cit. Inter alios militares ordines sub regula sancti Benedicti fuit celeberrimus suo tempore ordo Templariorum, seu equitum Templi, institutus a novem equitibus Gallis 1158, Gelasio II, pontifice: qui tamen ordo, postquam per ducentos annos summe floruit, damnatus, et penitus extirpatus fuit in concilio generali Viennensi a Clemente V, circa annum Domini 1311, idque ob nefanda crimina, ac conspirationem cum Turcis in perniciem religionis catholicæ factam. Barb., loc. cit. n. 76. Et licet non desint etiam doctores prædictum ordinem plurimum defendentes, dicendo, sententiam a sancto pontifice ex mala informatione, ac invidia aliorum fuisse latam. Nihilominus major, et sanior pars, Templarios reos proclamat, justamque pontificis sententiam asserit ex eo præcipue capite, quod tota causa exactissime fuerit examinata in concilio generali præsentibus trecentis episcopis, aliisque plurimis doctissimis, ac religiosissimis viris, qui omnes in tanto negotio tam gravis erroris sine temeritate argui sane non possunt.

47. *Regula sancti Francisci fuit divinitus revelata ac instituta.* — Quarta principalis est sancti Francisci, qui eam non tam instituit, quam executioni tradidit, ejusque executor potius, quam institutor, aut fundator fuit; siquidem non ipsemet eam adinvenit, sed immediate a Deo sibi revelatam, et de verbo ad verbum sibi dictatam et traditam accepit: prout non tantum ipsemet Sanctus sæpe est fassus, sed et plures pontifices contestati sunt, inter quos Nicolaus III. arg. c. *Exiit*, de Verb. Sign. in 6. quod ipsum etiam sanctæ Brigittæ aliquando revelavit Christus illis verbis. « Istius Francisci regula, quam ipse incepit, non fuit dictata, et composita ab ipsius humano intellectu et prudentia,

sed a me secundum meam voluntatem, quodlibet ejus verbum, quod in ea scriptum est, de Spiritu Sancto est. » Wadingus *ad Annum* 1223. n. 13; Dominicus *de Gubernat. in Orbe Seraphico*, tom. I. lib. I. c. 9. Hinc contristatus aliquando sanctus Franciscus, quod jam suo tempore aliquas relaxationes in ordine cerneret, sequentem a Christo increpationem audire debuit. « Cur tu pauper homuncio turbaris? An ego te super religionem meam pastorem sic constituit, ut me principalem patronum nescias? Hominem simplicem te constituit, ad hoc, ut quæ in te fecero, non humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ adscribantur: et quantiscunque fuerit impulsus pauperula hæc concussa religio, semper salva meo munere manebit. » Wadingus, et Gubernat. l. cit. ac Chronic. ordin.

48. Clarius adhuc, et evidentius, plurimisque audientibus expresse revelavit Christus regulam et religionem sancti Francisci immediate a se ipso fuisse institutam; dum fratre Elia generali, inito cum aliis consilio, relaxationem regulæ petente, ac contra nimium rigorem protestante in monte Raynerio ad Christum clara voce fratre Elia, et aliis præsentibus dixit Franciscus: « Domine, nonne dixi hos mihi non credituros? » Ad hæc enim verba illico in nube lucida apparens Christus, spectantibus, et audientibus omnibus contra regulæ rigorem cum Elia generali conquerentibus, sensibili et clara voce ita respondit: « Homuncio quid turbaris, quasi tuum hoc opus esset? Tunc legislator? Tunc hujus vite præceptor? Nonne hæc tabulæ a me formatæ? Tu duntaxat tenue hujus operis instrumentum, et calamus scribentis. Novi ego, quid dictaverim, novi, quid velim præcipere, vires humanæ mihi compertæ, scio, quid possunt, et quid ego valeo, et volo præstare subsidium. Volo proinde, ut regula hæc observetur ad litteram, ad litteram, ad litteram: sine glossa, sine glossa, sine glossa. » Quibus dictis conversus ad congregatos Franciscus dixit: « Audistis? Audistis? » Elias vero, ac cæteri cælesti voce quidem territi, a proposito tamen suo necdum penitus desistentes rogare cœperunt, ut eisdem instar aliarum religionum saltem in communi aliquid possidere liceret; ad quæ Christus a sancto Francisco interpellatus, denuo voce clara et sensibili omnibus audientibus respondit: « Ego pars et hæreditas eorum ero,